

D E C A N U S,
SENIOR ET DOCTORES THEOLOGICI COLLEGII
IN ACADEMIA JENENSI.

L. S. P.

In *ἐγκλήματα*, quæ Scripturæ præter omne meritum a Pontificiis intentantur, haud potestremum locum obtinet illud, quo statuunt, fontes Hebræos in Vet. & Græcos in Nov. Test. hominum partim malitia, partim incuria, corruptos esse, ut ad eos propterea provocari in controversiis non satis tuto possit. Grandis profecto dica, quam tabulis Dei viventis scribunt, insignis injuria, qua fidei nostræ fundamentum efficiunt, illudque convellere nituntur, audacia & impudentia tanta, ut ab ea quidam ex ipsis sanioribus Pontificiis, utpote CAJETANUS, JOHANNES ISAACUS, BENEDICTUS ARIAS MONTANUS, SIXTUS SENENSIS, GUIDO FABRICIUS, MARCUS MARINUS, EUGUBINUS STEUCHUS, PAGNINUS, LUDOVICUS VIVES, FRANCISCUS LUCAS BRUGENSIS, FRANCISCUS RIBERA, PERERIUS, & ex parte ipse BELLARMINUS, abhorreant. Quod si enim fontes eo modo sunt corrupti, utique longe magis corruptæ erunt translationes, cum rivuli nunquam purius fluant ipsis fontibus, sicque non amplius purum & incorruptum habebimus summum fidei nostræ principium. Si fontes corrupti sunt, in jus vocabitur Christus & Apostoli, quod ob immane illud sacrilegium Judæos nequaquam taxaverint, cum *ἀμαρτήματα* ipsorum alia, longe minoris æstimanda, tam graviter reprehendant. Si fontes corrupti sunt, periclitabitur provida Dei circa Ecclesiam cura & sapientia, quod corrumpi permiserit illud, a quo fidei nostræ sinceritas atque integritas unice pendet. Si fontes corrupti sunt, frustraneum erit studium atque inanis opera, quam exactiori sacrarum linguarum cognitioni Theologiæ Candidati impendunt. Et quæ sunt hujus generis *ἀτοπα καὶ ἀσύστατα* complura, ex hypothesi de fontium corruptione affatim promanantia. Inter illos *διεφθαρμένους τὸν νοῦν ἀνθρώπου*, ut cum Apostolo loquamur 1. Tim. VI, 5. qui sensus se habere corruptos demonstrant, dum fontes Scripturarum corruptos esse clamitant, vel principem locum obtinere voluit JACOBUS GORDONUS HUNTLEUS Scotus, homo Jesuitici Ordinis, qui in stadio isthoc gnaviter se exercuit, & multis in medium ex utroque Testamento adductis exemplis comprobatum dare voluit, Judæorum partim malitia, partim vero librariorum incuria, in locis quamplurimis fontes non amplius fluere limpidos, ut proinde ad Ecclesiæ Romanæ, h. e. ut ultima analysis docet, Pontificis Romani judicium, in fidei controversiis, tanquam ad sacram anchoram, & unicum corruptelarum remedium, sit confugiendum. Indignum istud facinus paulo pressius considerans Vir Reverendus & Clarissimus DN. SALOMON GLASSIUS, SS. Theol. Licentiatus, sacrarum Linguarum in hac Academia Professor publicus, Amicus & Collega noster honorandus ac dilectus, ad partes officii divinitus sibi commissi vel maxime pertinere judicavit, GORDONI illius nodos Gordios gladio verbi cœlestis secare, & SCOTI illius *λόγους σκοτεινοὺς* veritatis luce dispellere, id quod pio ac laudabili zelo aggressus, felicissime DEI beneficio absolutum dedit. Quantum enim in hac quæstione, ab aliis, quod nos quidem sciamus, nondum plene & enucleate pertractata, & in aliis cognatis materiis, ad solidam Scripturæ sacræ explicationem plurimum omnino facientibus, præstiterit, pie eruditi & prudentes Lectores ex hoc scripto, nobis etiam tacentibus, facile intelligent, ac nobiscum feris gemitibus DEUM invocabunt, ut hoc salutare Spiritus sancti organum, magno Ecclesiæ emolumento olim futurum, diu salvum & incolume conservet, ut hujus generis scripta complura, quæ partim confecta, partim affecta secum habet, inter quæ Grammatica, Logica & Rhetorica sacra eminent, in commune Studiosæ juventutis commodum publicæ luci propediem exponere possit. Vale, Lector benevole, & Collegæ nostri sanctis laboribus grata mente utere: Per-scriptum JENÆ Calend. Nov. Anno 1623.

LIBRI